VALLIADOS
LIBRI TRES,

OPUS INCHOATUM.

Auctore PATRICIO PANTERO
ad Fanum ANDREÆ
Theologo.



EDINBURGI
Excudebant Hæredes ANDREÆ
HART. 1 6 3 3.



SERENISSIMO



Potentiſsimo Principi,

CAROLO,

Magnæ Britanniæ, Franciæ,


& Hiberniæ Regi; Fidei defenſori,

DOMINO ſuo,



CAROLE, cui magnum ſpondent natalia nomen,
Et ſupra ſummum pectora celſa genus,
Accipe ſis teneræ molimina grandia Muſæ:
Cui ſatis in vires vnus Apollo potes:
Et ſi deficiat, non iſta capacia dicam
Numinis aut tantum pectora ferre Deum

P. P.



VALLIADOS

LIBER PRIMVS.



Belligeri dura arma viri, Martemq́ue sub Arcto
Grassatum latè populis, commissaque campis
Agmina, verticibus quà Tina hinc fertur & illinc
Irrigat arva Taus, tristique Caledona bello
Concussam, exactos hostes patriamque receptam
Iam canimus. Tu pande sacros æterne recessus
Luminis augusti, priscâque abscondita famâ
Et vati longinqua refer, ne nomina tanta
Magnanimûm Heroum, tot fortia facta, ducesque
Usque premant altâ miseranda silentia nocte.
Da causas aperire mali, quid gentibus orbis
Vnius & fossæ communis gurgite clausis
In diversa trahens animos; quæ tristis Erinnys
Immisit furias populis, Bellonaque semper
Sanguineum quatiens curru volitante flagellum
Non tulit unanimes, quos sic committere sævos

Inter se & notas in mutua vulnera dextras
Cogere ludus erat? quoties tibi Tueda Britanno
Sanguine purpureo tumuerunt flumina lapsu?
Regnandi, proh, dira sitis, vicinaq; ferro
Sub iuga mittendi, superi sed nescia fati
Invitisque diis, æterno fœdere certum
Queis unire feros & quos natura locusque
Iunxerat, irrupto in gentem coalescere regno;
Non ultra Scotum non Anglum audire, futuris
Nomina confundi, ne qua monumenta supersint
Dissidii, & solum memorari in sæcla Britannum.
Quid frustra in vetitum nixi? num fata morari
Præcipere aut liceat? sinite ô stata tempora rebus
Defluere, & placidis ne rumpite stamina parcis.
Multa quidem prisco gentis memorantur ab ortu
(Ex quo de Lybiis advectus classe Gathelus
Semina fundavit) Fergusique inclyta tandem
Auspiciis priscâ genus educentis Ierna
In regni composita modum) fera bella cruore
Gesta pari, populis nunquam sine clade quietis:
Sed nullum gravius post damna Latina, nec aquis
Exarsit flammis, illo quod Edardus inani
Successu tumidus, victricia signa recente
Eöo referens & sacro marte peracto,
Intulit, excidium spirans, finemque supremum
Se tandem tantis sperans imponere bellis;
Tempore captato quo Scotica sceptra iacebant
Iure sub incerto, cum mors inopina supremi

Regis

Regis Alexandri confunderet omnia, iusq;
Hæredum longis repetendum exiret ab annis:
Quemq; penes tunc res fuerant, miser artibus Angli
Repserat in solium, nec stemmate dignus avito,
Nomine nec tanto, non qui vel in ordine regum
Fulgeat & sacris sua sceptra immisceat armis
Transversâ signanda notâ; qui libera gentis
Iura sub indignas dedit atro fœdere leges.
Quod potuit quod non virtus, non sæcula tanta
Annorumque vices, non vasta potentia Romæ
Fatalis populis, cuiusque nec ipsa petenti
Numina spem facerent, ultro tunc fata dederunt,
Et rerum obiecere vices: gens inclyta centum
Regibus, externos haud unquam passa tyrannos,
Hîc pænè accepit dominum, viduataque Rege
Est propè Saxonicis provincia facta colonis.
Nec vis obniti contra, nec sistere tantum
Torrentem fati, iam flumine cuncta ferentis
Stagnantisque lacu; divorgia nec qua malorum
Tantorum nec Martis erant, (hominumq; Deûmq;
Iura fides nihili) non fulmina sacra minæque
Vejovis Ausonij, non terror & arma per agrum
Hosticum & aversâ Mars ostentatus ab orâ,
Dum Gallum quoq; in arma cient; sed inania cuncta
Incassumque parant; non densum velitis agmen,
Non grassator eques iustisve exercitus armis
Proficiunt ubi fata tenent, tot lustra iacente
Certa super patriâ; fuerant, immota nec ante
Extremas

Extremas cessura vices; hoc pondere fata
Vergunt & tanto stabant molimina regno.
Iamq; diu in Cumbris vaga castra infestus habebat
Cuminius, latèque igni ferroque premebat,
Quo saltem patrijs bellum deduceret oris,
Inque suos Anglum fines; nec nulla labori
Affulsit primo spes atque faventior aura:
Sed nihil ad summam rei. Cæpto tentat inani
Carleolum, regni quondam qua meta Latini,
Excubijsque locus, prætentaque castra ruenti
Barbaro, & extremum claudens munimine vallum.
Tunc delecta manus insederat agmine motûs
Finitimos contra: sibi rem spe tardius ergo
Cessuram ut vidit, bellumque hiberna sub ipsa
Obsidione trahi, manifestaqne fata tenere;
Relligio incessit, tentanda oracla Deûmque
Numina & adstantes Begæ convisere sedes,
Fatidicamque domum; quâ gratior altera Phœbo
Nulla, nec Arctoi maior reverentia luci.
Edita Vergivium rupes procurrit in æquor
Vasta situ nemorumque atris præclusa tenebris,
Quam procul ex alto speculatus navita, clavo
Detorquet properante ratem, famosaque vitat
Littora perpetuâ longè canentia spumâ.
Hîc sedem, parvosque lares, adytique recessum
Sacra Deo visumque hominum & connubia vitans,
Iam virgo servabat anus & fata canebat.
Huc vbi iam sacri ventum in penetralia luci

Et

Et parvam, loca sola, domum; processit ab umbrâ
Fœmina passa comas, pexæ in velamine pallæ,
Et macie contracta genas: quam protinus intra
Hærentem retroque caput sub tecta ferentem
Præcipiunt: Virgo (noti nam fama futuri
Parque genus, prisca si fert uti, ducis Ierna
Egit ad has sedes longoque aversa recessu
Limina) fare graves patriæ quæ prima labores
Auxilia excipient; quandoque patescet, & unde
Spes, heu! lenta nimis. Decimus iam vertitur annus,
Ex quo capta dolo sævâque ambage tyranni
Pressa iacet, duris tentataque cuncta videmus
Hactenus auspiciis planeque obstantia fata.
Quarè si quid apud superos precibusve piisve
Sancta vales meritis, aut talia numina tangunt,
Affer opem & fessis miserûm succurrito rebus,
Non apud immemorem ponetur gratia gentem.
Hæc ductor; eadem sociorum admurmurat agmen
Fataque fausta petit; vates ad prima tacere
Attonitæ in morem, terræque affixa tenere
Lumina; vix demum tremulo sic subdidit ore.
Fata cani vobis petitis curæque levamen,
O Fergusiadæ non æquo numine pressi;
Nec dum etiam cessant iræ: nova bella, novasque
Expectate vices iterumque pericula rerum.
Vidistis Berovici arces tristique cruentum
Cæde Barodunum; manet altera non minus ipsa
Feralis; quantos secum vehet unda Carontis?

Ne tamen absistant animi, spes certa supremùm
Lucescet pandentque viam sibi fata reclusa,
Auspicijs sed dicta novis, novus omnia ductor
Restituet non voce patrum non omine lectus:
Hoc dicto siluit seque intra tecta recepit
Umbrosumque larem Scotos ante ostia linquens
Hærentes multumque animis suprema moventes
Quis dux ille novus cûi sic meliora reservent
Cuncta Dij, quem fata notent non vota legentum;
Demum digressi querulo sermone labores
Deplorant patriæ sortemque vicemque sinistram
Cûi casus stent usque novi nova bella novumque
Discrimen semperque novùm minitantia fata
Non satis extremo vitam fudisse cruore
Elatamque semel, redivivam fata manere
Usque alia & casam non unica funera gentem;
Hic senior Lermon, cûi pristina cúique futura
Cognita & ambigui non nescia pectora fati
Solari satagens, dura incrementa gravesque
Commemorare ortus gentisque haud mollia fata
Cæpit & indomitos referebat in ordine casus.
Non semel hanc simili tempestas acta procella
(Ira sive Deúm seu quà vi forte latente)
Afflixit socij Patriam penitusque ruisse
Scotia & ex imo verti fundamine visa est
Vix ulla reparanda manu, (sic turbine cuncta
Huc illucque rapi) nam prima ab origine gentis
Nunc repetam & priscæ revocabo exordia famæ.

Vix

Liber primus.

Vix prima Herculeæ ſuperata anguſtia Calpes
Et nimbo depreſſus Atlas, nataliaque arva,
Heſperiumque patres ratibus tenuere profundum;
Cum ſenior vitrea fuſus ſub fornice Nereus
In medio generis, (ſtratam quá plurimus algam
Oceanus fundit finxitque ſedilia ſaxo)
Perſenſit ſua tecta quati, inſuetumque tumultum
Miratus pelagi, feſſus cum nec rueret Sol,
Necdum fumantes tempus laviſſe iugales;
Emicuit ſubitò, quem protinus omnis in altum
Turba ſecuta vadis fluctus excivit ab imis.
Atque ubi iam ſummá ſpectans erectus in unda
Pube tenus claſſem vidit, nec iam antea viſas
Oceano ſuper ire rates, caput hiſpidus atrum
Extento digito quatiens; heus quiſquis es (inquit)
Auſus iter tentare novum temerataque nulli
Æquora trans ſolemque ruis conceſſaque regna,
Haud facili properas fato, nec denique noſtro
Ereptis generi multum lætabere regnis.
Dixit, & excuſſá præceps ſe condidit undâ.
Ex illo quæ damna mari, quæ prælia terra
Vix æquo ſuperata Deo, quæque invia ſaxa
Diffractæque iugis rupes (nunc inſulæ) in altum
Obiectæ ratibus, dubiæ cum prima ſubirent
Littora & ignotos tentarent remige portus?
Namque prius vacuas ſedes tenuere Gigantes;
Æquorea de ſtirpe genus, quod ſera ſtuperet
Nunc ætas devexa hominum, (monumenta nefandæ

Gentis

Gentis adhuc exstant sinuoso horrenda recessu
Antra, quibus prostant moles, & pondera quæ non
Humanæ posuere manus) hi primus avorum
Indomitusque labor prima tellure: sed alter
(Ut gremio vix dum patriæ caluere recentis)
Excepit; pluvialis hiems, æstasque frequente
Lenta Aquilone sequens, fixæ spem sustulit omnem
Sedis, & infaustâ suasit discedere terra;
Ipse rates duci iussit Gathelus, & alto
Ire iterum sedesque novas committere fatis:
Ni consors fati atque tori de nomine gentem
Cûi superi vovere suo, cui corniger Ammon,
Effusa in lachrymas, obiectaque littore toto
Continuisset opus. Cæpere hinc littora linqui,
Et silvæ montesque coli (nam mœnia nondum
Suadebat terror, nec visus finibus hostis)
Cum Brito finitimus (genus à Brennove Retove)
Ultro inopinus adest, stirpis resecare novellæ
Germina & ex imo satagens convellere fundo.
Ipso odium faciente metu; nam surgere gentem
Intra eadem maria, & vallo quasi claudier uno
Non socium, seris sed forte nepotibus hostem;
Id vero trepidare animis, omnique reniti
Consilio & duræ prohibere auctamina gentis.
Cumque recens hospes, vero de nomine Pictus
(Seu Cimbrum Scythicumve genus) cum littora classe
Germano prætenta mari tenuisset; & ultro
Spem facerent moresque pares, contractaque tæda

Fœdera perpetuò gentes coaleſcere poſſe;
Obſtitit hic odium Britonis, rupitque recentis
Fœdus amicitiæ, Pictoſque in bella ſubegit.
Quippe feros hominiſque nihil niſi membra ferentes,
Queis caſtum ſanctumque nihil, vicina tenere
Miſcerique, ſatis cuivis res quanta pericli
Conſtare. In fatis etiamque hoc eſſe (nec ipſis
Ignotum patribuſve ſuis) quo nomen & omne
Pictum à ſtirpe genus Scoto peritura premente
Tradatur. fraudiſque malæ tum nequa ſubeſſet
Suſpicio, pariter quaſi moliretur utriſque
Exitium, aut ſociæ ſtudeat committere genti,
Auxilium cœpto ſpondet non defore bello.
Hic geminus propiorque metus inſueta regenti
Pectora, conciliiſque ultro in commune coegit
Conſulere & ſedes cœtuſque agitare frequentes,
Proſpicere auxilio & gentem implorare propinquam.
Iura dabat ſociæ tum forte Ferardus Iernæ
Maſculeâ bis prole pater; hic ſervat avito
Maiorem ſceptro, ſed cedit ſponte minore
Ferguſio & modicis Scoto ſummittit in armis.
Hic primus regni titulos, ſceptrique ſuperbum
Inſigne & trabeam cepit; cathedraque reſedit
Marmoreâ, Pharia quæ fertur abuſque Canopo
Advecta, huc regnorum omen, ſceptrique ſequacis,
Quo ſe cunque ferat Scotus, licet hoſtis inani
Nunc deceptus ovet ſpolio. Gens vix ita primum
In regni compoſta modum, cum ſemina belli

Civilis regnique faces in morte reliquit
Doronadilla nepos & pane in funere funus.
Moris erat prisci vacuis succedere sceptris
Germanum aut functi patruum, dum natus habenis
Nondum maturus regnumque capessere posset;
Huic frater suffectus erat moderata Rebuda
Imperia exercens; regni sed amore iuventa
Filius impatiens, praceps ad sceptra ruendo
Omnia turbavit misere, regnique recentis
Pane accidit opes primosque redegit ad ortus:
Hic opibus nixus Duali, quem tota secuta est
Galdia Atacottusque ferox, ac fœdere tada
Coniunctus iuveni Pictus, movet arma profana
In patruum & totam confudit turbine gentem;
Nec modus aut satias ira; lux una coire
Ter vidit, Scotumque suo cecidisse ter ictu:
Tanta furit iuncto candescens pectore flamma
Exardetque magis, tanto certamine utrinque
Concursum ac odiis, ut neutra parte ferente
Cedere vix pugna superesset nuncius, aut qui
Postea communi vires opponeret hosti;
Qui tacitus spectans, bellique intentus in omnes
Eventus, nactusque suis mage commoda votis
Tempora, se movit, vacuosque effusus in agros
Omnia Grampiaci percurrit adinvia saltus.
Postera Romanos incognita nomina priscis
Sacla tulere hostes, vera qui nescio pacis
Qua, legumque feris, morumque effictaque vita

Commoda

Commoda portantes duram per cuncta quietem
Qua venere dabant, cultoque frequentia cive
Oppida flebilibus reddentes sola ruinis
Vix quibus aut leges prætentave iura darentur
Relliquere sibi: vellent dum humanius esse
Humanum minuere genus; consistere nullo
Limite quin alias peterent, vel in æquore, terras
Imperij subigebat amor vesanaque ferro
Grassandi in cunctos rabies. Hi Brittone fuso
Qui Tamisin Camumq; tenent, & utrumque Sabrinæ
Littus, in extremos convertunt signa Siluras:
Icenos Gangumque vagum sensimque sub Arcton
Serpebat terror nostrasque invaserat oras.
Ergo vicinos ipsoque in limite bellum
Iam propius propiusque videns Carractacus, arma
Prima movenda ratus, potiusque inferre, ruentem
Quam sero excipere & medijs in finibus hostem,
Præcipit externis flammam restinguere in oris.
    Hunc Mavorte satum fertur Levinia nympha
Grampiacis enixa iugis, totamque sub armis
Glottiam & antiquæ populos tenuisse Carictæ:
Militiæ primis prælustris gloria ab annis
Æquales inter, rerum fortunaque crebrò
Prosperior fecere animos tentare potentem
Ignotumque prius populum, quin longius ire
Obviam & ignotæ bellum committere terræ.
Invitis rapit arma suis sociasque Siluri
Vltro acies offertque ducem, satis esse vel unum

Se Latio Belgæque vago: fiducia rerum
Tanta fuit fatique virum vis cæca trahebat.
Ergo per Ordovicas rapto citus agmine, primis
Hostibus occurrit, pugnæque cietur atrocis
Principium, infido sed destituente Silure
Inferior, fractisque suis vix ipse furentum
Evaluit vitare manus, fideique coactus
Tradere vicini sese post cuncta Brigantis.
Sed *nihil adversis tutum; non fœdera, non lex,*
Hospitij nec iura movent; vicinus, amicus
Traditur externo, ductusque per oppida, tandem
Barbara Cæsareos decoravit pompa triumphos.
Hinc belli steterant causæ, tantoque per Arcton
Amisso duce facta via est; quod Iulius ultrò
Movit & infestis induxit signa maniplis,
(Agricolam dixere sui) cui Galdus Horestæ
Regulus obiecit sese; tunc ninguida vidit
Grampe aquilas, Tungrumq; trucem, Galliq; ferocis
Auxilia & læto Martem diffundere campo:
Tunc primum oppressum numeroque armisq; Leonem
Ingentem retulisse pedem, licet ore cruento
Respiceret sæpe & vastos ostenderet ungues.
Non tamen hic primo victoria parta cruore
Marte stetit modico, debellatumve Latinis
Continuo aut Latias cæpit provincia leges
Fracta licet patria; impatiens dominique iugique
Perstitit inque ipsos surrexit pressa prementes
(Non secus ac Phœbo sacratum fertur in ipsum

Surgere

Surgere vimen onus, seseque efferre superbum)
Indomita & victis pratendere compulit arces,
Hoc Adrianus opus Tinaque Escæque fluento ,
Inter duxit agens fossas turresque frequentes
Immenso terra spatio, paulumque Severus
Promovit virtute sua, quā Glotta Bodotra
Æstibus angusto terra distinguitur Isthmo.
Hic pacem pepigere duces, hic terminus hæsit
Imperij limesque viris, hîc substitit orbis
Terror & obstructo Romana potentia fato.
Sed vix externis penitus requierat ab armis
Cum patriam excepere nova, intestinaque Picto
Dissidia infausto demum exardentia bello:
Exigua primum causæ levibusque coortum
Litibus, infernos sed dira Megæra furores,
Admovitque faces; quæ tanta incendia demum
Sparsere, alterius quæ non nisi sanguine gentis
Restincta ac ipsa demum compressa ruina.
Forte canis Regi (nostris venatica namque
Vita) in delicijs, prædæ dum ardentius instat,
Et sequitur per senta feram iam longius error
Abstulerat Pictique vagum provexit in oras;
Hi summo fotum studio multumque petitum
Celavere diu, donec solennis utramque
Ad spectacla parem excivit venatio gentem;
Incingunt laxà primùm spatia ampla corona,
Includuntque feras donec coeuntibus omni
Parte viris sensim cœtus cogatur in arctum

Claudat

Claudat & exiguam contracta indagine vallem.
Hîc signo de rupe dato lorisque solutis
Decurrunt hinc inde canes caveamque per omnem
Exagitant, passimque ferum dispescitur agmen,
Hinc plausu strepituque virûm diroque ferarum
Infremitu sonat omne nemus, rupesque resultant
Vocibus & vario cœlum tonat omne tumultu;
Hic sed forte lupum (qui primus heroque suisque
Fertur honos) solus cursu morsuque fatigans
Nunquam amittebat, Scotîque sub ora trahebat,
Cum veterem agnoscit dominum, nec in agmine tanto
Quenquã alium nequeuntq; canem retinere magistri:
Hinc rixæ primum dominis, ad verbera tandem
Deventum miscentque manus, conclamat ad arma
Quisque suos (facilisque acies ex ordine tanto
Consessuque virûm) caveæ decurritur omni
Ex parte, in cuneumq; premunt utrinque phalangem;
Tela volant lato primum venatica ferro,
Quæq; locus tempusq; dabat; mox arma propinquis
Exciti clamore locis utrisque tulere
Auxilio numerumque simul martemque ministrant,
Subsidioque novo revocant; cadit omnis ad unum
Nobilitas, Pictæque decus flosque ipse iuventæ.
Hinc furor in nostros, Pictique accensus acerba
Clade dolor; satiare nihil, nil linquere inausum
Ira pudorque sinunt; & cum diffideret armis
Ipse suis, Romana ciet. Tunc castra tenebat
Maximus & trina Britonas legione premebat:

Nomi-

Nominis hunc vani titulus, laudisque cupido,
Dum domitor Scoti, dicique Britannicus ardet,
Et Thulen iunxisse novam, ac clausisse triumphos,
Accendit facile & nostras induxit in oras.
Ducitur auxilium Britonis, Pictusque viarum
Cæca præit; ternis incedunt agmina castris,
Et latè populantur agros, sævitur in omne
Ætatis sexusque genus: nec cura rapinæ
Aut prædæ; dant cuncta neci, pecudumque virûmq́;
Sternitur immissis promiscua turba catervis.
Noster, ut in tali rerum discrimine, certus
Quas habet opponit vires; concurritur alti
Fluminis ad ripas, quá Galdia terra per imum
Finditur & geminos distinguit Cria Novantas.
Pro numero fit pugna ferox, nec cedere Picto,
Aut Britoni virtus patitur, sed ad Itala ventum
Arma simul, fixamque aciem, retroacta ruinæ
Agmina nostra modo: neque enim defessa recentes
Sustineant, numerumque manus. Nec sicca Latino
Palma fuit nostrisve animi cecidere repressis;
Ire iterum in pugnas, iterum tentare periclum,
Fortunamque iuvat: late coit omne ferendis
Aptum armis (muliebre etiam) iuvenumq́; senumq́;
Infirmumque genus; iam iam suprema vocare
Cum videant, cunctis animam profundere certum est
Liberam, & externæ nunquam dare colla catenæ.
Quas strages dedit illa dies, quæ funera regum,
Dum nolunt superesse suis? Genus omne supremâ

Occidione cadit, nec pæne relinquitur in quem
Exercere odia aut grassari insania posset;
Tam raræ apparent facies, Scotumque redactum
Tam paucos ad nomen erat, saturatus ut hostis
Cladibus, in victos sævire refugerit ultra
Maximus, & duram miseratio vicerit iram;
Relliquias restare iubet; sed vivere Picti
Non patitur odium, nunquamque Britannica clamat
Romano pacata fore imperiumque quietum,
Dum Scotum superesse sinat, & illamque ferini
Sanguinis, indomitam ignaramq; quiescere gentem.
Ergo quidem vitæ parsum; sed sæva rogantur
Exilia, indictusque dies quo finibus omnes
Excedant patrijs; quod si quis forte morari
Audeat, ei capitale fore. Hæc sententia vulgi
Venit ut ad miseras morte ipsâ durior aures,
Heu quantum accendit luctum! quæ tristia cunctis
Fortunæ lamenta suæ; natalia linqui
Arva sibi dulcesque lares; migrare necesse,
Nec quo scire tamen; sese committere ponto
Omnibus est animus, nec quæ trans æquora ponti
Terra latet norunt: Miseratur Iernia primos
Immemor haud generis coniunctorumque parentum;
Pars Hemodas Monamque petit sparsasq; per æquor
Orcadas & vasto distantia regna profundo.
Regis in adversam germanus Echadius oram
Cimbrica regna venit, (fratrem nam terra tegebat
Scotica dum patriæ nollet superesse ruenti)

Et procerum quicunque super: reverentia tanti
Agminis, & facies rerum miseranda feroces
Commovere animos, demumque patente receptis
Hospitio assignant sedes. Hîc octo teruntur
Lustra sub ignoto, tristissima tempora, cælo;
Nec reditus spes ulla super, patriamque recentem
Excolere, & socios comitari in prælia Cimbros.
Tunc primum Latio passim se infundere regno
Cæperat Arctous populus, latèque per omne
Imperium densis volitare examina nimbis.
Noster ut in Cimbris odium par forte Latini
Nominis offendit, Marianamque urere cladem
Usque recentem animis, pronumque in bella dolorem,
Movit agens, facibus non cessans addere flammas,
Atque aperire vias; cum latè insederat Alpes
Gothus (ab Ausonijs distinguunt Teutonas arvis)
Huic sese adiungunt socios, qui robore tanto
Auctus, in ignotum superatis montibus orbem
Non dubitavit iter, mundique, arcemque, caputque
Formidata diu populis; quodque antea cunctos
Obsequio tenuit larvaque metuque superbi
Nominis, ausi ultro tentare; horrensque ciere
Cominus ex ipsis monstrum exitiale latebris,
Et posito ingulare metu; quis terga, quis armos
Invadat certant; iam bellua fracta senecta
Conficitur, lacerantque artus, nudantque cavernas
Pectoris, & sævis dant membra trementia flammis.
Ardorem hunc cunctis & inexaturabile pænæ

 Indi-

Indiderant pectus ſuperi, quo dira tyrannis
Finem habeat diſcantque modum ſervare potentes.
Huius ut ad Latias huc eſt perlata cohortes
Fama mali & verſæ triſtiſſima nuncia Romæ,
Attonuit primum mentes tandemque regentis
Incerti, quove arma ferant, provinciæ inanis
Imperium ſibi quiſque rapit, propriiſque cadentes
Vulneribus, ſenſim vires nomenque, metumque
Imminuere ſui; domitiſque erecta novandi
Audendique aliquid ſpes, atque in turbine rerum
Excutere inviſam iam diu cervice catenam.
Defuit incæpto ſolus cûi tanta daretur
Summa rei & dubij cura ac faſtigia belli.
Iam tum Ferguſij nomen prælustre ſecundi
Vtramque implêrat patriam; communibus ergo
Delecto votis celebris legatio, primi
Pictorum Britonumque, viro decernitur; ultro
Excuſent qui facta patrum, clademque, odiumque
Exilij & patrias invitent rurſus ad oras,
Ac triplicis ſceptri regimen, bellique quod ipſum
Hæredem vltoremque vocet, de fratre nepotem
Eugenij, extremis patriam qui texerat armis.
Hic quamvis animo revocata iniuria & iræ
In Pictos Britonaſque pares, tamen omnia charus
Vicit amor patriæ, certumque haud deeſſe vocanti
Ducentique Deo. Quare quêis robur ab annis
Contrahit, & primo volitans aquilone per altum
Quarta luce Tai devenit ad oſtia claſſe.

Alectum

(Alectum hic poſuit reditus monumenta, Deique
Donum appellavit) redeuntis ad undique famam
Confluitur, cunctique virum fauſto ore ſalutant
Vnanimes, patriamque iubent bellumque capeſſat.
Ergo haud cunctandum, prius & quam ſentiat, arma
Præcipienda ratus, quod præſto robur, in hoſtem
Ducit, & haud longe conſedit ab aggere valli
Qui Picto prætentus erat, quem pæne ferarum
Concluſum ritu miles excluſerat orbe.
Hîc ſua ſunt Scoto pariter Pictoque recepta,
Copiæ in anguſtum Romanorumque coacta.
Sed non fida diu populis conſortia regni,
Triſtia funeſti ſenſim data ſemina belli.
Littora Saxonicus tunc prædo Britanna rapinis
(Inviſum unde genus) vario infeſtare tumultu
Cæperat & captâ demum conſidere terrâ.
Huic Pictum commune genus, liteſque recentes
Cum Scoto, iunxere animis, externaque ſuaſit
Fædera & ignotum præponere civibus hoſtem.
Ergo ſibi Britones in cuncta pericula Scotum
Aſſociant, propiore premens qui Pictica bello
Diſtineat, Martemque domi ſuccenderet armis.
Sic hoſtem ſibi quiſque legit, bellumque futurum
Dividitur: ſed Saxo tenax telluris amatæ,
Vt ſemel incaluit gremio, ſedemque locavit,
Maiori pellendus erat virtute, nec arma
Sufficiunt Britonis, noſtrum obiectare neceſſe eſt
Hoſtibus auxilium: crebro hinc certamine victor

Vterius

Vlterius fregit vires, facilesque domari
Saxonas Arturo liquit, quem tanta Britannis
Fama hodiè celebrat, factisque inseuit Olympo.
Sic Saxo victus iacuit, paulumque quievit,
Amissæ donec vires, atque agmina cæsa
Subsidijs reparata novis, & denique vix vi
Emicuit, Britonasque premens hinc inde coegit
Victor in angustas gemina inter littora sedes;
Qua Sabrina vago latè diffunditur æstu,
Extenditque fretum, ripasque in littora mutans,
Ipse sibi tantos miratur surgere fluctus.
Sensim ubi fama virûm senuit, nomenque vetustum
Gentis ad adversa transmisit Aremoras ora.
Hic finis regni Britonum, tantique sub arcto
Imperij, proprij primum quod iuris, & inde
Horruit Ausonias provincia facta secures.
Exitus haud multum dispar, fortunaque regni
Pictiaci, sub tempus idem fatalis utramque
Terminus accepit gentem; nec Saxo cadenti
Profuit, aut Scotis ex fœdere restitit armis.
Ergo datum inter se decernere ad ultima ferro
Extremamque manum, nec bellum fœdera tantum
Extera & antiquis odijs exercita virtus,
Sed causæ fecere novæ; nam forte virilis
Regia stirps omnis (fato iam cuncta trahente
Ad nostros) interciderat, Picti ergo petivit
Germanâ de, regna, nepos Alpinus, avito
Iure, & tot priscis servato more per annos.

Spernere

Spernere ſed Picti iuvenem, præcluſaque cunctis
Sceptra peregrinis ſua dicere, lege caveri
Hoc patriâ & priſcos ſemper tenuiſſe parentes.
Sed manifeſta viris ea ludificatio viſa
Iam pronum accendit bellum, flammaſque furori
Subdidit; invadunt ferro ſibi proxima quiſque,
Et primum prædis agitur; ad prælia tandem
Deventum iuſtaſque acies, fortunaque primum
Arriſit Picto; ceu claro Phœbus Eoo
Plus nimio rutilans, ſerum premit horridus atrâ
Tempeſtate diem, vultumque in nocte recondit.
Primus Alectanos Alpini funere campos
Signavit congreſſus atrox, noſtriſque reliquit
Vix numerum, validas nedum in nova prælia vires.
Sed res accepit tenues Cennethus, avorum
Gloria, qui regni Scotorum tertius auctor,
Conditor & dici meruit; qui pæne peremtos
Reſtituit, ſparſoſque metu collegit in arma.
Nec fors defuerat victis, nec deſtitit ira
Vindictæque furor, donec genus omne redactum
Ad paucos ceſſiſſet agris, omnîumque malorum
Relliquiæ abiectis fugerent ad Saxonas armis;
Nil auſos tentare tamen, curſumve ſecundum
Siſtere, victrices vel Marte laceſſere dextras.
Ergo invitatur Cimber qui claſſe frequente
Littorea infeſtans, Fiſam Buchanaque rura
Fœdavit miſerè, Conſtantinumque furentius
Invectum oppreſſit; nec longè ſæpè ruinâ

Res fuerat, cæsis ducibus, acieque frequenter
Respectante fugam, ni Cami cæde Caithus,
Ac Hajus virtute nova tenuisset (uterque
Nobilibus ascriptus avis) & pæne subactam
Servassent patriam meritis multoque cruore.
Ergo operam ludens, iterumque iterumque repulsus
Cimber ad australes convertit vela Britannos,
Imperiumque tulit, facili tellure locatis
Seaibus, & ternis numeravit sceptra tyrannis.
Quo demum oppresso, feralis Neuster utrique
Succedens magis hostis atrox, iam summa minatur
Omnia & antiquam sibi sub iuga mittere gentem.
Vltimus hic hostis, qui (si mens gnara futuri
Est mihi, vel longos præsagia docta per usus)
Haud dubie his cedet terris, pulsusque relinquet
Armis cuncta novis. Hoc mente recondite dictum;
Scotus ad extremos extendet iura Britannos.
Hoc pater ipse Deûm fatur, hoc altus Apollo.
Dixerat, inverso vesper cum serus Olympo
Cernitur, & gratum fessis dat tessera somnum.



LIBER



VALLIADOS
LIBER SECVNDVS.



Idereum intereà ſuperos penetrale Tonantis
Concilio tenet, & ſummis de rebus agebant;
Quî pacem facerent terris, quî ſemina litis
Diſſidÿque ſibi reſecent, bellantibus uſque
Terricolûm ſtudio, & cœlum miſcentibus armis.
Quos multum varios, atque in contraria euntes
Vocibus, ætherius ſic interfatur ab alta
Sede Pater, motâ fecitque ſilentia dextra.
Velle fuit (curas etenim noviſtis & omne
Conſilium ſuperi) mundi cum primitus huius
Admolirer opus, diſtinctaque ſecula rerum
Mente efformarem, proprÿs diſcludere quæque
Sedibus, ut vario ſtaret concordia mundo;
Diſpoſui cœlo ſtellas, errantiaque ipſa
Sidera non alia tamen in regione vagantur,
Ætherio volucres tractu, piſceſque profundo
Humidiuſque genus; ſed, quod magis ordinis intra
Credideram fines, præſcriptaque iura teneri,
Humanum, mortale genus, non vaſtius uſquam
Pectus, & ulterius tendens inſana cupido.

Propte-

Propterea populis passim divortia feci
Providus, in terram non ausus mittere apertam.
Hinc silvæ saltusque feri, terræque tumores
Insoliti, & populos inter maria alta, feroces
Siqua coercerent animos, durumque Britannum
Egimus in pelagus, totoque exclusimus orbe.
Quis non haud dubiam firmasse in secula pacem,
Provisumque neces contra, bellumque putâsset,
Limite sic cunctis posito? Tamen omnia frustra,
Intactumque nihil; quid enim vel profuit Alpes,
Pyrenesve iugum Pæno? Riphæaque duris
Obiecisse Getis? Vastas quid syrtibus oras
Africa, & immensum trans ipsum Atlãta profundũ?
Nil hominum sistit furias, superantur abyssi
Squallidaqua arva siti, nubesque æquantia tesqua,
Æthera vix tuti colimus; (meministis opinor
Terrigenûm motus, bellique sub astra gigantum)
Sed precium hîc aliquod cæpti, quis tantus in ista
Inferiora furor? Puncta dominetur ut orbis
Scilicet exigui; cuius pars regna Britannûm
En quota pæne oculos fugiens (monstratq; iacentem
Immersamque mari) tam diu miremini in undis
Perstare & vastis absorptam haud esse procellis,
Decertata tamen populis, tamque acribus olim,
Tamque hodie studijs, tanto sine fine cruore.
Nec fuga nec requies, cingens maris unda duellum
Pæne facit, circique velut committit arenâ.
(Namque semel odijs ubi mens accensa, furoris

Induerit

Induerit ſtimulos, bello vicinia ſemper
Semina dat, nutritque frequens iniuria damnis)
Miſſio necqua datur; numeroque opibuſque tumente
Saxonida, ignaroque Scoto ceſſiſſe potenti.
Nunc iſtum gravior ſors opprimit, atque minatur
Addamnare neci, ni fata, obſtetque futuris
Certus honos, olimque manens moderatio ſceptri.
Namque lubet vobis arcana recludere noſtri
Pectoris & Scotæ quæ debita gloria genti:
Ne quiſquam ſtudijs fata in contraria tendat
Neſcius, & noſtrum divertere tentet amorem.
Illa quidem multas inter non maxima gentes,
Vbere nec fælix glebæ, quæ thura, merumve
Sufficiat ſacris; ſemper pietate vel armis
Clara tamen, multaſque ſupra laudata potentes,
Quare animo ſemper, meritæ maiora, parabam.
Nomen, & obſcuris gentem eduxiſſe tenebris:
Sed remoræ obſtabant operi; fatale premendis
Gentibus Auſonium nomen, Pictuſque locatus
In regni quoque parte ferox, anguſta reliquit
Virtuti ſpatia, & parvo concluſerat orbe.
Sed demum ſibi fecit iter, maturaque fata
Invenere viam; legio prætenta, ruentis
In Latij revocatur opem, Pictuſque remoto
Romulidâ impulſus; levior ſic factus eunti
Ad maiora gradus, totam ditione tenendam
Inſulam & vnitis ponendum iura Britannis,
Imperiumque, licet ſerum, quod Iberus & Iſter,

Auſoniæque

Ausoniaque trement arces, & Teutonis ora;
Audiet & quisquis Nili primordia, Gangis
Aut niger haurit aquas, Atlantis vel iuga cernit;
Quisquis & aversum Phœbo procul incolit orbem.
Hoc certum superi; veniet properantibus annis
Ingentes aucturus avos, unàque Britannum
Nomen in astra ferens pietate IACOBUS *& altis*
Consilijs, nostrum merito genus; ille reducet
Aurea post tantas Saturni secula turbas,
Et terras sub pace dabit: Tunc Thracia Martem
Accipiet post bella suum, dirumque fragorem
Hauriet Hebrus aquis, illa regione tenebit
Sanguineus sese, & campo volitabit aperto.
Inque vicem virgo terris Astræa subibit
Iura ferens populis, incultaque corda docebit
Ferre iugum & pacis studijs assuescere inermes.
Hunc, ita composito pacis sub legibus orbe,
Lustra ubi dena suis sceptris complêrit, onustum
Imperijs, rerumque gravem moderamine, nostras
Accipiam in sedes, sociumque adhibebo verendis
Consilijs, Minöe simul. Mox turbine motas
CAROLUS *accipiet gentes; sed robore & armis*
Coget ad officium, nunquamque assumpta reponet
Arma, vel invitis Donec pax reddita terris.
Hinc series regum nullos rumpenda per annos
Succedet populis, dum terris adstrepet ingens
Oceanus, Phœbusque diem præstabit Olympo.
Quare consilio fiat mora nequa futuro,

Aut

Aut fatum vis ulla ferat, meditata faventes
Accipite, & nostris coniuncti accedite curis.
Cernitis (& miseret mecum) cladesque, laboresque
Incassum fusos, fato luctantiaque arma
Hactenus Heroum; magni non inclyta virtus
Fraserij, non veles Humî non Carus & ipsa
Cuminiæ vis tota domus, deducere Neustrum
Finibus & capta valuere revellere sede.
Quippe alij servatur honos, qui in tanta vocatur
Fata, & quem magnis magnum nunc profero rebus,
Inter Scotigenas, nec fama incognita vobis,
Est Oreas Grampe, cano quæ vertice fulgens
Eminus, hîc primæ dat clara insignia terræ.
Illa sub umbrosis natum gravis edidit antris
Coilæo commixta seni; quem conscia fati
Hostilisque odij, quod iam iuvenilibus annis
Moverat, ac totas Neustri conflaverat iras,
Subduxit furijs & rerum a turbine celat,
Invitum ac misero rumpentem pectora luctu;
Hunc in opem fessis visum summittere rebus,
Oppressisque ducem. Quare charissime nate,
Nunciequé, ad notas Nymphæ properato latebras,
Et iuvenem affare ac mæstæ fer dicta parenti;
Cedat eo & fidei nostræ, fatisque remittat
Quem res ipsa vocat, quem nos, quem publica vota.
Hæc refer; hæc edic, hæc cœlo resciat acta,
Parendum, hæc summa est; tristis si hæc namq; procella
Transeat & melior fati vis aspera vincat,

Postera

Posterâ non metuo, rarum nam Scotia Marti
Educat hunc silvis & montibus abdit alumnum
Fatalem Neustris: Quem protinus haud minor alter
Brusius excipiet Bruti genus, altaque regum
Stemmata Scotorum repetens & debita sceptra
Quem demum volvenda dies ostendet in armis.
Dixerat, & solio demum digressus, in altum
Concessit thalamum, sua quemque in tecta remittens
Sidereâ, adversis quæ fecit in ordine circum
Liminibus Natura parens atque atria cinxit
Illos alta quies tenuit: Sed iussa parentis
Maïgena exequitur, nubesque aurasque secabat
Per noctem & primo Grampen spectabat Eoo;
Adnitens, Boreâ semper, vastisque procellis
Difficilem, & tacito pendebat in aere lapsu.
Ac velut apprensa vento retinente saburrâ
Suspensam volitare gruem, cygnumve videres
Labentem & longos facientem corpore tractus;
Haud secus immotis sese Deus ales agebat
Nixibus & prenso demum se vertice fixit:
Attonitamque novo nympham tantoque Deorum
Nuncio, ut incanos nectebat fronde capillos
Anteriore sedens antro, sic præcipit; ad te
Nostra omnis Grampe legatio, Iupiter alto
Imperat emitti natum: ne credere fatis,
Et fidei divûm dubites, crudelis in illum,
Et patriam pariter, famaque inimica futura;
Cede lubens (inquit). Tremula quem voce secuta

Vix, anus ingemuit, subito compressa dolore;
Istene proh superis labor est: hoc illud Olympum
Exercet curis; quî matre avellere natum
Possint & miseram solare, orbare senectam;
Non satis extremo nudam damnasse sub axe
Parrhasiisque rotis, caput & latus omne pruinâ
Usque tegi, & miseras vix brumam arcere myricas?
Nunc quoque quo solo solabar cuncta, supremi
Spem senij (agnosco summi compendia doni
Et refero superis, partum vix conscia quamvis
Credebam & tantos potuisse fovere calores)
Vix satis ostensum tollunt miserâque reposcunt;
Haeccine dona Deûm, tanto stant gaudia luctu
Talia iactantem terrasque aurasque querelis
Implentem liquit Cyllenius, ut fore vidit
Difficilem & nusquam magnum conspexit alumnum.
Illum autem interea secreto silva recessu
Abdebat longè curas errore levantem,
Fallentemque dies; seros sed vesper ut ignes
Extulit, inque suos revocans nox cuncta penates
Composuit laté, nec vox strepitusve per umbram
Amplius auditur; penitus sed pectora tota
Vertunt ad solitas nocturna silentia curas,
Tum vero ingeminare dolor, rursusque sub alto
Corde recrudescens, non indulgere quieti
Pectora, non iusto patitur dare lumina somno.
Ah quoties secum moerens, extrema subire,
Cum patriâque mori? Ferroque optabat & igni

Immitti

Immitti medium, nec ſeſe funeris unum
Exortem triſtes latè ſpectare ruinas.
Auditur quoties longé fragor, altaque tectis
Flamma dabat fumos; manibuſve elapſus atrocis
Hoſtis, adeſt quiſquam, clades, cædeſque reportans,
Et miſeram patriæ faciem atque impune furentes
Saxonas & priſcæ meditantes ultima genti,
Ah Vallæ qui tunc animi? Quis ſenſus? & imis
Vulnera quanta ſedent fibris? Quantoque tumultu
Rumpentes miſeram triſtis dolor iraque mentem
Præcipitem prope in arma dabant? quin miſceat ultro
Se miſeris, medioſque furens incurrat in hoſtes,
Et patriæ accedat fatis, triſteſque ruinas
Ipſe ſuâ, & tántas cumularet funere clades,
(Sic furor atque dolor agitant) ni chara Minerva,
Et pater ipſe Deûm retrahant lachrymæque ſuorum
Obnixæque preces; ne ſeſe perdere fruſtra
Et patriæ, chariſque velit, lethoque (ſequatur
Quod decus haud ullum, meritumve aut gratia facti)
Proieciſſe animam, miſeroque occumbere fato:
Quin potius cedat, ſeque ad meliora reſervet,
Dum præſens fortuna furit, dum rebus iniquum
Tempus, & afflictæ nondum bona numina genti.
Ac veluti catulis venantum indagine cinctis,
Latratuque canum, quos prædaturus in antro
Liquerat, infrendes, nec adhuc ſatis ungue timendos
Audet in auxilium ſuccurrere, perque coronas,
Perque canes furit ire leo, venabula donec

Expediant

Excipiant densa prætenta per agmina silvâ,
Et cogant meminisse sui, licet ira furorque
Concitet, & charo fremitantia viscera motu.
Sic sese invitus tenuit, miseramque sub umbris
Per loca sola trahens animam, rituque ferarum
Squallidus, errabat silvis, irasque coquebat.
Nec tamen hîc deerat cum rei bene cunque gerendæ
Tempus & oblatos fortuna ostenderet hostes,
Seu solos pluresve daret, congressus agebat
Vel turpi per rura fugâ, vel si quis iniquum
Audebat fato tentare urgente duellum,
Linquebat miser ille animam, nec postea charos
Cernere, nec patrio licuit dare membra sepulchro;
Inque dies carpens errare licentius ausos,
Terruit, & crebris minuebat, cladibus hostem.
Quem simul ac divûm iuxta stetit ales, & ora
Membraq́ supra hominem, spirantiaq́ omnia numen
Advertit iuvenis paulum novitate stupendâ
Turbatus primum, mox voce, animoque receptis
Processit contra, excepitque his vocibus ultró;
Quisquis es aut hominum, divûmve effare, recessum
Qui sacrum hunc visis sedesque hic exulis ægri.
Dixerat, alatæ prætenta insignia virgæ
Cum monuere Dei, Divûmque a sede ministri,
Et trepidus tales accepit ab ore loquelas;
Magne puer, patriæ auspicijs felicibus orte,
Præfinite dijs, teneram quid rodere acerbo
Felle animam, & tanto iuvat indulgere dolori?

Pone graves curas, nam qui mortalia nutu
Versat, & afflictis propiore est numine rebus,
Ipse pater superûm, luctum miseratus, & alti
Pectoris angorem, gratum demittit Olympo
Nuncium, & optatas demum tibi laxat habenas,
Emisso specubus & carcere (vana parentis
Quem fecit cura) & patriæ summittit egenti
Ultorem, bellique ducem; nec solus in istud
Immitteris opus (quamvis sit is ardor, & alti
Indomitique animi)comites hinc inde per agros
Accersam & sparsas reciebo in bella cohortes,
Oppressas potius quam fractas, quæque tumultui
Opportuna modo respectant tempora, & irâ
Qui præeat, primoque velit dare sanguine bellum;
Confluere ad nomen cernes; age, vade secundo
Omine & angustam factis extende Britanniam,
Sic fatus, claram disparuit ales in æthram,
Inter lætitiam linquens, curasque prementes;
Tandem pauca refert, ô nuncie sancte Deorum
(Nulla subesse cui fraudis commercia par est)
Esse ratum iubeas nec vano numine firma.
Amplexusque solum natale, ardentia figens
Oscula sic fatur; O dignus cladibus ultor
Exoriare aliquis, vel det mihi fata Deûm Rex
Immorier tam dulci operi, & te chara iacentem
Obte ere aut armis aut corpore, quodque cruoris
Exsuxi, & primas quas hausi flaminis auras
In vestros efflare sinus, ac ore cruento

Oſcula, ſupremi teſtes tibi figere amoris,
Haud equidem invitus caderem, nec triſtia ferrem
Fata, nec hinc umbris errarem mixtus inultis.
Talia mærenti, demum ſopor ægra labore
Lumina compoſuit, ſolito magis arctus inhærens
Senſibus & placidam ſpirans in membra quietem:
Cum viſa eſt tacitis accedere Scota *iacenti*
Paſſibus, in faciem, cultumque exacta propinquæ
Naiados, & pulchrâ ferrum ſibi porgere dextrâ,
Fatiferum, immenſum, cûi nec par ipſa, nec ambæ
Adnixæ comites molique onerique ferebant,
Et ſic affari, talique accendere voce.
Accipe chare puer, patrijs de fontibus una
Æternum quæ duco genus, ſanctéque vetuſtas
Quam coluit, venerata focis & paupere ſacro,
Quod fero, forcipibus ductum fornacibus îſdem
E queis tela Iovis, quod ferrum Mulciber ipſe
Cudit, & infernâ candens reſtinxit in undâ;
Quod Marti gelidam quondã cum inviſeret Arcton
Omnia pervolitans latè loca, forte furenti
Excidit & noſtris fulgens excepimus undis.
Terricolûm tu primus habe, verſatile primùm
Apto tuæ dextræ, totiſque oppono maniplis.
Quas ſtrages hac mole dabis? Quæ funera ferro
Fatifer? Occiſos capient vix tartara Neuſtros.
Hîc experrectus non exæquabile donum
Miratur, nec adhuc ſcit verum, an ſomnia cernat,
Addubitat, creditque tamen, gaudetque tuendo

Ardeſcens, prenſatque manu, verſatque, ſtupetque,
Nec ſatias capit, appendit laterique humeroque
Mirè habile, & certo iuvat ire ac tendere paſſu;
Quoq; magis ſimplex cultus, placet hoc magis omni
Ambitione carens, non gemmâ, aurove ſed ære
Atque adamante gravis, tali vagina nitore,
Et capulus, vaſtis horrebant cingula bullis.
Iamque ſatis viſis, donoque recente, Deoque
Firmatus, rapit acer iter. perque invia, perque
Pervia it, abſiſtunt rupes, ſenteſque recedunt
Præſternente Deo, fervor retinacula cuncta
Expedit, & totum ſpirantia pectora Martem.
Primum ſe ſocijs Gramus dedit obvium in armis,
Cognati generis quem nigro vertice Tinto
Ædidit, & paribus, iam firmum, eduxerat annis;
Qui procul ut Vallam venientem vidit, & ora
Exoptata diu, vultuſque agnovit amicos;
Vix animi compos, & pectore preſſus anhelo,
Accurrit lachrymans, dextramque amplexus, inhæſit
Vſque petens, repetenſque moras, cauſaſque, locoſq;,
Et quid poſt clauſos demum det in arma labores;
Et patriæ funus, conclamatamque ſupremùm;
Hic quamvis utrique dolor par, reſque retexi
Horrebant animis, nec ſuſtentura dolorem
Pectora ſperabant, Vallas tamen, ipſa mali ſeu
Principia explorans (ſi quicquam culpa vel error,
Aut ſors ſola dedit) ſeu famæ longius actæ
Non nimium fidens, ardebat in ordine ſummam

Audire,

Audire, & miseros penitus ediscere casus,
Ac iubet effari; gemitu cûi Gramus ab alto
Corde dato, tales vix rupit pectore voces.
Quid repetam clades toto satis orbe poloque
Heu nimium notas? Vel quæ mihi suppetat ægro
Vox, pectusve, labans, & ad ipsa exorsa tremiscens?
Quis gentem antiquam, tantis per sacla trophæis,
Tot ducibus claram, numerantem sceptra tot annis,
Vix ulla confracta manu, sic cedere prædæ,
Et cæsam referens, vel prima mente resumens,
Temperet à lachrymis? Quis non ad nomina dira
Mæreat; & Neustros, ac Saxonas horreat ore?
Sed si tanta sedet menti, si certa cupido,
Tot casus audire truces, & fata tuorum,
Morem Magne geram; Nota est occasio rerum
Prima tibi, & fraudes, captataque tempora regni;
Vt ius inversum, malefidique arte sequestri
Addictum est illi, cognato Neustria partu
Quem tulit, adque suas res aptum noverat Anglus,
Hic cunctis pariter cum esset malegratus, iniquas
Hinc populo leges, hinc indignante senatu;
Secessu procerum sic facto, & plebe regentis
Incertâ, patuere fores, regnique tyranno
Claustra data, & vacuas rapere, atq; insidere sedes
Primum prævalidas Berovici in limite turres
(Contra finitimos tunc propugnacula motus,
At nunc insidias, hostisque excursibus aptam,
Et patriæ impositam miseræ cervicibus arcem)

Astu

Astu intercepit, cum iam diffideret armis
Irritus, & toties tanta cum cæde repulsus;
Ergo fugam simulans, circumducto agmine, parteque
Ex alia apparens, speciemque Caledonis urbi
Subsidio venientis habens, & Scotica signa,
Elicuit totam portis bipatentibus urbem;
Vnde immissus eques, effusam absque ordine turbam
Protrivit misere, claustroque invectus aperto
Præcepit reliquos; sic extra, intraque nefanda
Exoritur cædes, natorum ante ora parentum,
Ipsorumque patrum, rerum discrimine moto
Funditus & totas furijs laxantibus iras,
Vt primum tepuere manus; hîc lecta iuventæ
Ornamenta cadunt (dives quam Marcia silvis
Educat, & Lothi tellus alit ubere læto,)
Sollicite conquesta neci, promiscua turba
Absque notâ, numeroque iacens, per templa, domosq́3,
Perque vias urbem fœdant, ut Tueda cruore
Ferveret, insuetoque vndaret gurgite pontus.
His ergo auspicijs, ut primo sanguine cæptum
Imbuit, & tantæ perrupta repagula molis,
Per reliquum torrente ruit, vel more ruinæ
Præcipitis, quam vix hærentem ultroque minantem
Impulit acta manus; illa in subiecta repente
Incidit & vasto terret vicina fragore.
Proxima quæque metu subeunt, hostiliaque ultró
Præsidia admittunt; & quos distantia maior
Submovit rebus, primaque a clade, nec ipsi

Ante

Ante movent, proprios serpens quam flamma penates
Corripiat, similisque involvat quemque ruina.
Non secus ac subitâ nautis cum turbo procellâ
Ingruit oppressitque ratem, deiectaque malo
Carbasa tinxit aquis; non vltra animive manusve
Attonitis (ceu membra gelu vel morte rigerent
Sic videas hærere loco) non vela levare,
Antennasve citi, socium sed quisque tueri
Amens, & tumidum expectare in transtra profundũ.
Prima manus fixis sese ausa opponere signis,
Et conferre manum, Baroduni infausta sub alti
Mœnia consedit, supremo certa tueri
Auxilio patriam, vel, si suprema ruendi
Fata obstent, Scotoque ultra superesse negatum,
Non gratis cadere, aut inhonesto occumbere letho.
His animis, dextrisque ruunt. concurritur æquis
Principio auspiciјs, nec nos victoria primo
Despexit vultu, iam primæ Saxonis iræ
Fortiter exceptæ, fractusque resederat ardor,
Et visus spectare fugam, nostrique movere
Atque inferre aciem, subito cum (incœperit unde
Incertum fatone, an proditione suorum
Invitus memoro, tamen heu meminisse necesse est)
Terga dari aspicimus, quo primo signa recessu
Turbata, & totos demum fuga facta per agros.
Fama volat, regni spe, promissisque, tyrannum
Seduxisse virum, quem res & publica vota
Poscebant sceptris & regni proxima iura;

Illum indignantem regimen, molemque coquentem
Irarum tacitè, suasu traxisse secundo
Transfugium, Neustroque latus nudasse suorum.
Quicquid erat certè miseri nos sensimus aliâ
Clade malum, nullis unquam reparabile seclis;
Illa suprema dies, & funera nostra, Caledon
Tunc elata fuit. Vix pauci in castra propinqua
Elapsi primæ flos nobilitatis, inanem
Protraxere moram, nam post mala cuncta (labores
Pervigiles, diramque famem) tolerata, coacti
Tradere se pactique animas, crudeliter omnes
Oppressi multo liquerunt sanguine vitam,
Hic Seto, Carique duo, & Fergusia verè
Progenies Bancho (raptis qui dicitur armis
Vt vidit socios & quæ laniena maneret,
Non gratis posuisse animam) Duglassius una
Sanclarusque cadunt; nec te miser inde silebo
Haie quem totis petijt manus improba telis.
Hinc ad Ediniacam recta fert impetus arcem,
Et caput imperij, quam nuper Rege, senatu
Et populo celebrem, solam tunc nemo tenebat,
Deseruere omnes, portaque viaque patente
Vix quisquam apparens, aut custos mænibus ibat.
Tantus vbique metus, ea desperatio rerum;
Tutis nulla fides; hinc regia clara tot altæ
Stirpis imaginibus, tantis arx inde trophæis,
(Tam pedijs æquata iugis) patuere ruenti
Præda hosti, & gaza, veterum congestio regum.

His

His aucti auspicijs, ternas ex ordine captis
Adijciunt sedes, veterum decora alta parentum;
Limnuchum, Sterolenq; altam geminoque nitentem
Falconum sub monte domum, munitaque tecta,
Pars æquata solo, pars commoda visa colono,
Pernicies patriæ stetit atque in viscera versa est.
Nec ratio est rerum, nec honos, non relligionis,
Non prisci sanctique fides; loca sacra, profana
Iuxta habita, in divos pariter hominesque furit vis.
Ipsa Deûm sedes, ipsum inviolabile fanum
Andreæ Phœbique lares (quam rupe relictâ
Pimplide, Barbaricis exterrita dicitur armis
Calliope legisse locum; quam Cimber & omnes
Horruerant per secla manus) temerata tumultus
Sensit & infandos (heu barbara facta) furores.
Nec minus & geminæ, Phœbeïa castra, sorores
Glascua & ad gelidos Abredon proiecta Triones;
Sævitum in lapides, in iura vetusta librosque,
In famam, seclumq; memor, abolentque premuntque,
Dant rerum monumenta rogo, vestigia seris
Ne qua forent natis gentis, laudisve parentum,
Excitura animos, nec avorum conscia virtus;
Sic vires sensusque premi, sic nascier ultro
Degeneres sperant, & laudum nescia corda;
Sic fore se tutos nullo nisi plebe relicto
Imbelli fractâque malis, sic posse subactis
Grassari & misero dominari impune popello.
Roboris & si quid sobolesceret, atque iuventa,

Delectu

Delectu assiduo minui; tunc forte dedit res
Militia exhaurire nova, quæ Gallica primo
Vere peregrino concussit regna tumultu.
Me quoque sollicitè conquisivere, misellum
In caput ardentes furijs, sed sede domoque
Cum paucis profugus, latebrasque subinde per agros
Mutando, cæcisque vijs fallendo sequentes,
Consului vix ipse mihi; fera pectora donec
Anglorum satiata malis oblivia tandem
Cæpere, & pariter irâque metuque cadente,
Cessatum est vano porro indagare tumultu.
Sed quæ te tandem regio? Quæ devia tam diu
Distinuit sedes, patriæ demortue curis?
Hic Vallas, quamvis eadem speraret, & ista
Non inopina forent æqua aut maiora timenti,
Præsenti sermone tamen rerumque malorumque
Admota facie, propiusque sub ora reductis;
Ingemuit volvens molem, iam funditus exspem
Extra aleamque vicis conclamatamque supremum.
Demum pauca refert; equidem non fingit inanes
Suspicio plærumque metus, nec pectora fallunt
Heu! veri præsaga nimis: nunc sentio fraudes
Alma parens, patriæ natique heu blandâ dolori.
Ah quoties subiere animum, puerilia quamvis
Pectora & haud ulli graviori obnoxia curæ?
Non temerè fuit iste dolor, totiesque fluentes
Sponte sua lachrymæ, nulloque ciente querelæ.
Haccine cura omnis fuit? hæc custodia nostri

Officiosa nimis, quo me patriaque meisque
Distentum, in mortis nunc nuncia sera reserves,
Extremasque vices, conclamatamque supremum:
O patria, ô Scoti veteres, ô ferrea bello
Pectora, Romanos quæ sistere sola furores,
Et Pictos pepulisse locis, Britonumque furores
Non semel in priscos potuistis cogere fines,
Cui tantum de te licuit: Num tanta sepulta est
Fama virûm? Tam notus honos, invictaque gentis
Gloria, centenis numerans sua sceptra tyrannis
Externa non tacta manu? Nullusne priorum
Nascitur, antiquo vel nomine dignus, avitis
Nullus imaginibus? Non cûi tam perdita cordi
Causa siet, propriaque velit reparare ruina?
O mihi Dîi faciles sint aut fortuna secunda
In partem ut mittant operis, (nam vindicis infans
Non peto, nec tantos ambit mihi pectus honores)
Vel si fata negant & rerum certa ruina,
Attamen ulta cadas, dirumque hostique cruentum
Funus, & extinctæ placentur sanguine manes.
Talibus incusans hærebat mæstus, & omnis
Consilij atque incertus opis, dum hinc sera volutat
Auxilia, inceptique fidem; dumque incitat illinc
Vis animi, rumpitque moras iustosque timores;
Præcipitatque vias & magno fluctuat æstu.
Quid struat; unde prius capiat rerumque operisque
Principium; quod subsidium speretue receptum;
Vix demum vicit ratio, sententiaque alto

Pecto-

Pectore subsedit, tacito molimine, belli
Prætentare vias, viresque animosque suorum
Perspicere & dubijs quæ sit fiducia rebus.
Ac veluti vastis agitata tumultibus unda
Aut musto fæx prima novo (vis ignea Bacchi
Tanta furit, miscetque ciens) sibi pugnat, & in se
Funditur, usque vomens spumas atrumque vaporem,
Donec fumiferas sensim exhalaverit iras,
Et flatus animosa suos deferveat ægris
Motibus, & fundo demum subsederit imo.
Sic postquam vario pectus sibi Valla tumultu
Ipse fatigavit, cæcoque huc, impete & illuc
Irritus impegit, nec votis porta patescit,
In sese redijt demum, invitusque resedit.



VALLI

VALLIADOS

LIBER TERTIUS.



Amque annum Austrino Phœbus referebat ab axe,
Augebatque dies; cum rebus Saxo paratis
Iam totus spectabat iter, bellumque fremebat,
In Morinos; latè rerum securus, & hostis
A tergo, sua tuta putans, Arctonque quietam
Moturamque nihil; quare quod roboris usquam
Contrahit, & totis implet cava littora turmis.
Vos ô Pierides, proles Iovis altaque Mneme,
Quam non ulla latent decursa ab origine secla
Fastorum, famæque parens, nunc pandite sacræ
Claustra domus, nunc antra mihi, penetralia longi
Temporis, obscuris monumenta obducta tenebris
Excutite, & tanti censum mihi reddite belli;
Qui ferro armati reges; Quæ nomina prima
Ductorum; Quæ cuique acies; Quibus Albion armis
Ferverit insurgens, nostis namque omnia, nec vos
Nequicquam sacris præfecit Iupiter actis.
Venit ab extrema Boreæ de partibus ora
Humbrorum numerosa cohors; divortia Valli

Trans

Trans habitant, Tinamque bibunt, Tuedæq; fluenta,
Limite vix unquam certo; nunc Saxone fines
Prolatante sibi, nunc Scoto; & neutrius esse
Mars sinit assiduis vastans incursibus agros.
Vix ita quà refluos Euripus duplicat æstus
Alternat maris unda vices, aut mobilis aura
Cardinibus spirat dubijs cum lurida cœlo
Tempestas glomerat nubes, vel turbine nondum
Composito fremitat; non unquam tuta cuïquam
Res sua, sæpe dies modò quem ditaverat, ipsa
Nocte fuit præda, ius, & sua gestat in armis
Non unquam securus agens. Queîs flore iuventæ
Percius insignis primo, & fulgentibus armis
Albenti est prævectus equo; cui parma leonem
Cæruleum campo volitantem ostendit in aureo;
Advaticæ signa alta domus, dextraque paternum
(Malcolmi tum cæde rubens, factoque recente
Vnde decus nomenque suis) hastile gerebat
Arduus, & campo primus se ostendit aperto.
Signa sequebantur peditum bis sena, pharetris,
Et ferro succincta levi; quos ordine longo
Hastatus præcessit eques, cui tergore tauri
Laminulis ferri insutis, lorica rigebat,
Et pannis densatus apex. Huic limite dextrum
Cumber ab occiduo clausit latus; ille virentes
Hexamiæ campos, ripasque & flumen Edini,
Escaumque latus tenet & quà Solvius æstu
Vergivium miscet pelagus, fluctuque retorto

*Funditur & Scoto prope Saxona dividit iſthmo.
Queis præſens vaſtis ſeſe vertebat in armis
Graſtochius, vetito quem Nympha Cevotia partu
Ædidit & ſylvis ignotum eduxerat altis,
Celatura nefas & duri conſcia fati.
Hic duo geſa manu rapiens, vaſtumque molaris
In formam clypeum, ſocios clamore vocabat
Increpitans, agmenque minis ſub ſigna trahebat.
Poſt hos Veſtmariæ coëunt in prælia gentes,
Quique arces Dunelma tuas, Tineiaque caſtra,
Stammoriamque tenent, qui regia tecta frequentant
Ditis Eboraci, Trentam quique inter & Humbrum
Rura, Palis Cereriſque colunt uberrima regna,
Quoſque vetus priſcis dicebat fama Brigantas.
Hos non unus agit ductor, paribuſque regebant
Auſpicijs Viponte ſatus, Novavillius & cûi
A clivo fortique notæ; queis æmula virtus
Muſgravij, vix pone ſubit, Fennuſque Laguſque.
Pars curru pars ibat equis, quatit horrida campum
Eſſeda, terrificis imitata tonitrua gyris.
Ante alios ſacris præfulget Becus in armis,
Lamina cûi frontem tegit aurea, linea cingunt
Tegmina, ſtat lino thorax; & lineus umbo.*